

objecti, quod habet amplissimum; tùm ratione durationis suæ, quam non patitur abrumpi aut mutilari ullâ dispensatione aut suspensione.

§. XVII.

Objectum nimirum hujus rigoris sunt omnes actiones humanæ tam externæ, quàm internæ, modò moralitatis sint capaces: Undè extensio rigoris h. l. tanta, quanta ipsarum actionum humanarum; Duratio verò, cum expers sit omnis interruptionis, extenditur continuè atque in infinitum.

§. XVIII.

In his omnibus deficit Jus positivum; sed pro varietate sui ipsius variè; quod ex collatione diversarum ejus specierum cum Jure naturali optimè intelligetur.

Minus rigidum est Jus posit.

§. XIX.

Jus positivum divinum non intensivè sed extensivè tantùm, minoris est, quam Jus Naturæ, rigoris.

§. XX.

Non intensivè; quia latum est à DEO; qui per omnes leges suas tanquam καρδιογνωστis, non minùs in intentione quàm in reli-^{1) Divinum} quis circumstantiis omnibus exactam requirit bonitatem. Imò verò respectu ejus nulla circumstantia est latens, omnes sunt patientes; quas proinde legibus suis eòdem etiam modò moderatur. Sit hoc jam à principiò, inquit Cicero L II. de Legibus, persuasum civibus, ea quæ geruntur, Deorum geri judicio ac numine, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, quâ mente, quâ pietate, religiones colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem.

§. XXI.

Extensivè est, tam ratione objecti quàm durationis.

§. XXII.

Ratione objecti; quia jus positivum divinum non de omnibus sed quibusdam tantùm actionibus nostris disponit; ceu patet.

§. XXIII.

Ratione durationis; quoniam admittit dispensationem. Argumentamur 1.) de lege forensi & ceremoniali, comparatè à minus ad magis: Quodcunqve Jus potest abrogari, illud multò magis potest dispensari. Atqui Jus positivum divinum &c. E. Probamus Minorem: Sic lex forensis abrogata fuit, cum Urbs Hierosoly-